

M. ISRAELIS CLAUDERI,
HISTOR. AC ELOQV. P.P.

DE

RITU VETERUM
NATALITIO
DISSERTATIO SECUNDA,

IN ILLUSTRATI ATHENAEO

COBURGENSI,

CUM ILLUD

NATALEM

QVINTUM SUPRA QVINQVAGESIMUM
SOLEMNITER CELEBRARET,

RECITATA

AD D. IV. M. QVINCTILIS

A. O. R. cl c l c LIX.



MAXIMUM SEculi ORNAMENTUM,
LATISSIMEQVE PATENTEM
MISNIAE GLORIAM,
VIRUM SUMMUM,

THOMAM REINESIUM D.

ALTENBURGENSIUM AESCULAPIUM
ATQVE CONSULEM PRIMARIUM,

CRITICUM ITEM AC POLYHISTORA
ABSOLUTISSIMUM:

MULTIFORMIBUS EMINENTEM DISCIPLINIS,
VARIARUMQVE COGNITIONE RERUM
ADMIRABLEM:

MAECENATEM INDULGENTISSIMUM,
OPTIMUM TALIU AESTIMATOREM,

HARUM PAGELLARUM

CENSOREM - PATRONUM

OFFICIOSO EXOPTAT CULTU

ILLUSTRI EJUSDEM NOMINE

SOLIDE DEVOTUS

M. ISRAEL CLAUDERUS, P. P.

Quod benè vertat !

DEO, IN UNITATE
TRINO,

Rei Literariae Statore atqve Sospitatoe unicò,
propitiò -volente :

NUTRITIO MUNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATQVE CELSISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO GVILIELMO,

DUCE SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE, ET

MONTANIAE, COMITE PROVINCIALI THURINGIAE,

COMITE LIMITANEO MISNIAE, COMITE

MARCAE ET RAVENSBURGI, RAVEN-
STEINI DYNASTA,

HEROE INCLUTO, PIO, SAPIENTE,

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO :

ATHENAE ISSIACAE

anniversariam inaugurationis memoriam

more majorum rituqve solemni

luce recolent crastinâ,

M. ISRAELE CLAUDERO, HISTOR. AC

ELOQV. PROF. PUBL.

lingvam in præsens commodante.

A 2

Agite



Agite nunc,
 OMNES OMNIUM ORDINUM
 PROSTATAE, PARASTATAE, EPISTATAE,
 quibus bonæ artes non sunt fastidio:

VIRI

MAGNIFICE, MAXIME REVERENDE, NOBILISSIMI,
 AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
 PERREVERENDI, CLARISSIMI, ERUDITISSIMI,
 PRAESTANTISSIMI, SPECTATISSIMI,
 HUMANISSIMI:

MAECENATES, PATRONI, COLLEGAE, FAUTORES, AMICI,

submissè, observanter, officiosè habendi:

istis Musarum sacris favete,

ejusque rei testandæ ac augendæ celebritatis ergò,

die dicto, post datum è turri Gymnasticâ signum,

in Majore Collegi nostratis Acroasi,

exigui ad temporis impendium,

benevoli adeste!

Id quod Vos,

pro suâ quemque dignitate,

majorem in modum rogat,

tanti beneficii vicem pro virili redditurus;

illos autem, qui ex utroque cœtu numerosissimo

Musis operantur, Gratiisvé litant,

ut ad Legum Gymnasticarum recitationem

densò confluant agmine,

etiam atque etiam hortatur

Idem adhuc de RITU VETERUM NATALITIO

disferturus.

P. P. Coburgi, quintâ à Festo Sacrosanctæ Trinitatis Dominicæ,
 Anni Mæsiani milles, sexcenties, ac undesexagies vertentis,
 ærâ Gymnasticâ quintâ & quinquagesimâ.



Q. F. F. F. Q.

R*ospera lux oritur: lingvis animisq; favete. Nunc dicenda bono sunt bona verba die!* Hisce omnino vatis Sulmonensis, (Lib. I. Fastor. v. 71.) verbis, Patres Conscripti, vestris singuli titulis Honoratissimi, Tuque Discentium frequentia longe nobis commendatissima! His, in isto, Peligni oloris verbis presentem Panegyrum exordiri fas sit. Illuxit iterum, praestante DOMINO, quintus Nonarum Quinctilis dies, in fastis Cornelio facer, qui primus, undecim abhinc lustris, rei literariae faustus cum maxime adfulsit atque salutaris: quippe quo, currentis seculi septimidecimi anno quinto, Gymnasium nostrum solemniter solemniter inaugurationis ritu Musis atque Gratiis consecratum novimus. Quod si apud Romanos, prudentissimos rerum aestimatores, stante adhuc & florente Republica, priscis temporibus observatum ac in more fuit positum, ut gubernatio Reipublicae decimo quoque anno celebraretur publice, ac Diis, patriae praesidibus, pro salute atque incolumitate Reipublicae vota nuncuparentur decennalia, quod Dionis, (Lib. LIII.) Trebellii quoque Pollionis, (Gallieno,) testimonio probatum, dat Joh. Rosinus, Antiquitatum Romanarum compilator, (Lib. V. cap. XXII. p. 480.) Recte utique & ex ordine fecisse existimandi sunt Majores nostri Laudatissimi, quod, antiquissimum imitari institutum, non quinquennalia quidem, decennalia, aut vicennalia; sed annalia potius sacra illustri huic Athenaeo indicere non adeo supervacaneum nec inconveniens judicarent: quibus Divino Numini debitae persolverentur grates, Eidemque insimul cum Inclutae Domus

Saxonica, tùm famigerabilis hujus Gymnasii salus atqve incolumitas seriò commendaretur. Agite proin, priorum insistentes vestigiis, ad id, quod caput esse debet modernæ solemnitatis, accedamus. Hæc autem nihil præter DEO LAUDES, CHRISTO GRATES! ùt in veteri Ecclesiæ erat formulâ, postulat. Ast, quàm ampla sese nobis offert divinorum beneficiorum, plenâ hæcenus manu exhibitorum, seges & copia: quanta dignitas ac præstantia! *Nullius certè tantum est flumen ingenii, nulli dicendi aut scribendi tanta vis tantaq; copia, quæ, non dicam exornare; sed enarrare eadem possit omnia, ut* Ciceronianò loquar ore, (Orat. pro M. Marcello.) Abducamus igitur in præsentem orationem paullùm ab illâ Divinæ Beneficentiæ infinitate; cujus tamen memoria ex animis nostris nunquam debet discedere: eamqve ad luculenta in primis & Lycæo nostro peculiaria promerita revocemus. Ubi utramqve nobis faciunt paginam ejusdem Patroni atqve Nutritores Munificentissimi: Fundator nimirùm, supra omnem laudem positus, Illustrissimus atqve Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus JOHANNES CASIMIRUS; ac Restaurator, inter Germaniæ Principes inclyti nominis famâ hodiè eminens, Serenissimus itidem atqve Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIDERICUS GVILIELMUS, Duces Saxonix, Juliaci, Cliviæ, & Montaniæ: Comites Provinciales Thuringiæ, Comites Limitanei Misniæ: Comites Marcæ & Ravensburgi, Ravensteinii Dynastæ. Quibus DEUS, pro ineffabili ac immensâ bonitate atqve sapientiâ, istam animi mentem & dedit & conservavit, ut Palladium hanc Franconiæ domum alter aperiret, ornaret, defenderet: alter temporum injuriâ haud parùm concussam secundissimis auspiciis pristino nitore restitueret. Ignoscant mihi potius Heroës Incomparabiles, quòd illa Ipsorum plurima & ea præclarissima in ordinem literarium benemerita

men-

mentionem tam tenui atque brevi perstrinxi. Neque verò ea
 vel ita obscura sunt, ut lucem ingenii cuiusquam desiderent:
 vel ita vulgaria & abjecta, ut sermonis artificiò & quasi admi-
 niculò egere videantur: illustria omninò sunt, eximia & sin-
 gularia sunt, denique, ut verbò absolvam, talia atque tanta
 sunt, quorum nomine DEO Benignissimo sempiternas gra-
 tias exsolvere jure teneamur meritissimò. Itaque vigent
 illa in verissimis publicorum Scriptorum monumentis, ver-
 santur in ore ac celebritate orbis literatioris, vivunt in ani-
 mis & memoriâ bonorum omnium: exstat & exstabit porrò
 Casimiro-Gvilielmianum isthoc *Exactum monumentum ære
 perennius, Regaliq; situ Pyramidum altius: Quod non imber edax,
 non Aquilo impotens Possit diruere aut innumerabilis Annorum se-
 ries, & fuga temporum,* ut Horatianis exprimam numeris,
 (Lib. III. Od. XXX. v. 1.) Cùm proximò nunc locò, ne con-
 suetudini laudabiliter receptæ quidquam derogare videar,
 non nihil verborum ulterius ex hac cathedrâ mihi facien-
 dum sit, nemo vitio verterit, si, fidem jam olim datam libera-
 turus, nostræ *de ritu veterum Natalitiò* Dissertationis telam
 pertexere sustineam. Vestrum est, Lectissimæ Musarum
 animæ, de quarum æquitate dubitare nefas; humanitatem
 in tali confesuro requirere, injuria virtutum foret, quàm fre-
 quentes huc confluxistis, tam bene benigneque ea, quæ pro
 re natâ proferentur, & arbitrari & accipere.

Postquam natali luce pietati satis litatum, quidquid su-
 pererat diei, exquisitis comburebatur voluptatibus, quippe
 quod Veneriatque Libero unicè deberi arbitrabantur Eth-
 nici. Domus, obscura si fuerat, incrustata dealbabatur, for-
 des emundabantur, pavimenta purgabantur scopis, & in fa-
 stum atque splendorem dabantur omnia. Ita enim leno
 Plautinus (Pseud. act. I. Sc. II. v. 28.) lorariis suis mandat:
Tibi hoc precipio, ut niteant ades, Habes, quod facias: propera,

Ædes ex-
 poliebantur.

abi

Corona-
bantur
fores.

8.
*abi intrò. Tu esto lectisterniator. Tu argentum eluito, idem ex-
straito. Hæc, cùm ego à foro revertor, facite, ut offendam parata,
versa, prætersa, strata, lautaq̃, structaq̃, omnia uti sint. Nam,
mibi hodiè natalis est. Decet eum omnes vos concelebrare. Coro-
nabantur fores, ut ex Gregoriò, Nazianzi Episcopò, Cl. Pic-
cartus (Orat. Academ. X. p. 189.) docet. Prisci enim moris e-
rat, in omni publicâ privatâq̃ lætitiâ templorum postes at-
q̃ ædes, harumq̃ vestibula floribus ornare ac frondibus.
De templis fidem facit rescriptum Imp. Valentiniani &
Martiani, (Lib. I. Cod. Tit. XI. al. XIV. l. 7. nemo.): Nemo
venerandi adorandiq̃ animò delubra, quæ olim jam clausa sunt,
referet. Absit à seculò nostrò infandis execrandisq̃ simulacris ho-
norem pristinum reddi, redimi sertis templorum impios postes, pro-
fanos aris accendi ignes, adoleri in his demtura, victimas cadi, pate-
ris vina libari, & religionis locò existimari sacrilegium. De ædi-
bus Catullus, de nuptiis Pelci ac Thetidis, (carm. LXV. v. 278.):
Quorum post abitum princeps è vertice Pelii Advenit Chiron, por-
tans silvestria dona. Nam, quotcumque ferunt campi, quos Thes-
sala magnis Montibus ora creat, quos propter fluminis undas Aura
parit flores tepidi fœcunda Favoni, Hos indistinctis plexos tulit ipse
corollis, Quæ permulsa domus jucundò risit odore. Juvenalis,
(Sat. XII. v. 89.): Hæc nostrum placabo Jovem, Laribusq̃ pater-
nis Tura dabo, atq̃ omnes violæ jactabo colores. De vestibulis
idem Catullus (ibid. v. 285.): Confestim Peneos adest: viridantia
tempe, Tempe, quæ silvæ cingunt superimpedentes, Minyas in lin-
guens Doris celebranda choreis, Cranona ærisonamq̃, tulit radici-
bus altos Fagos, ac rectò proceras stipite laurus, Non sine nutanti
platanò, fletaq̃ sorore Flammati Phaëthontis, & aëriâ cupressu.
Hæc circum sedes latè contexta locavit, Vestibulum ut molli vela-
tum fronde viveret; ut Illustris Scaliger, (Castig. in h. l. p. 91.)
restituit. Statius, Epithalamiò Stellæ & Violantillæ, (Lib. I.
Silvar. carm. II. v. 229.): Vixdum emissa dies, & jam socialia
præstò*

prestò Omina, jam festâ fervet domus utraq; pompâ. Fronde virent
 postes, & fervent compita flammis, Et pars immensa gaudet cele-
 berrima Romæ. Juvenalis, de ritu nuptiarum, (Sat. VI. v. 78.):
 Longa per angustos figamus pulpita vicos: Ornentur postes & gran-
 di janua laurô. Et, (cit. Sat. XII. v. 91.): Cuncta nitent: longos
 erexit janua ramos, Et matutinis operitur festa lucernis. Tibul-
 lus, (Lib. I. Eleg. II. v. 13.) ad amicæ januam: Te meminisse de-
 cet, quæ plurima voce peregi Supplice, cum posti florida ferta darem.
 Lucretius, de ineptiis amantium, (Lib. IV. v. 1170.): Ast la-
 crymans exclusus amator limina sæpè Floribus & fertis operit, po-
 stesq; superbos Ungit amaracinô, & foribus miser oscula figit. Sed,
 ad lineas rursus, & in gradum, ex Tertulliani (Lib. I. adv. Mar-
 tion. cap. IX.) formulâ.

Is ipse, cujus natalis decursu annuô redierat, Plauto Natalem
 agitans,
 mundulè
 amictus,
 (Pseud. act. I. Sc. III. v. 15.) atqve Martiali, (Lib. XI. Epigr.
 LXVI. v. 6.) hodiè natus, ac Tibullo (Lib. I. Eleg. VIII. v. 53.)
 hodiennus dictus, novis vel nitidis ac splendidis vestimentis
 exornatus, quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua fœ-
 ditas oculos invitandorum offenderet, convivium instru- convivi-
 um natali-
 tium, idqve
 luculen-
 tum, ador-
 nabat
 ebat prælautum, Natalitium inde nuncupatum. De cujus ad-
 paratu sic, Phyllidem ad convivium, natali Mæcenatis exhi-
 bendum, invitans, Horatius (Lib. IV. Od. XI. v. 1.): Est mi-
 hi nonum superantis annum Plenus Albani cadus: est in hortô,
 Phylli, nectendis apium coronis, Est hederæ vis Multa, quâ crines
 religata fulges. Ridet argentô domus: ara castis Vincita verbenis
 avet immolatô Spargier agnô. Cuncta festinat manus: huc & illuc
 Cursitant mista pueris puella: Sordidum flamma trepidant rotan-
 tes Vertice fumum. Propertius verò ita, de natali amicæ, (Lib.
 III. Eleg. VII. v. 19.): Inde coronatas ubi ture piaveris aras, Luxe-
 rit & totâ flamma secunda domô: Sit mens æ ratio, noxq; inter po-
 cula currat, Et crocinô nares myrrheus ungat onyx. Tibia noctur-
 nis succumbat rautâ choreis, Et sint nequitia libera verba tua.

B

Dul.

*Dulciaq; ingratos adimant convivium somnos: Publica vicina per-
strepit aura via. Sit fors & nobis talorum interprete jactu, Quem
gravibus pennis verberet ille puer. Et leno Plautinus, antea no-
bis memoratus, (Pseud. act. I. Sc. II. v. 32.) Iorariis suis præci-
pit: Mibi hodiè natalis dies est. Decet eum omnes vos concelebra-
re. Pernam, callum, glandium, sumen facito in aquâ jaceant. Sati-
audis? Magnificè volo enim summos viros accipere, ut mihi rem
essereantur. Intrò abite, atque hæc citò celerate, ne mora qua sit,
coquus cum veniat mihi. Ego in macellum, ut, piscium quidquid
est, præciò præstinem. Quò in locò id simul observare est, suil-
lam potissimùm carnem natalitiò convivio fuisse in deliciis,
concidente etiam Juvenale, (Sat. XI. v. 82.): Sicci terga suis,
rarâ pendentia crate, Moris erat quondam festis servare diebus, Et
natalitium cognatis ponere lardum, Accedente novâ, siquam da-
bat hostia, carne. Quidnam verò causæ fuerit, cur suilla caro
& lardum in festis natalitiis apud admodùm priscos adponi-
consvenerit, eruditè disputat Antonius Schottus (Observ.
Poët. Lib. II. cap. XIV. p. 50.) De Persis quoque hunc in mo-
dum Herodotus, (Lib. I. cap. CXXXIII.): ἡμέραν ἀπισίων μό-
λις ἐκείνην ἡμᾶν νομίζουσι, τῆ ἕκαστος ἐγένετο. ἐν ταύτῃ δὲ πλείω
δαῖτα τῶν ἄλλων δικαιοῦσι προστίθεσθαι ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βῆν
καὶ ἵππον καὶ κάμηλον καὶ ὄνον προστίθεσθαι, ὅλας ὅπῃς ἐν καμίνοισι
οἱ δὲ πένητες αὐτῶν τὰ λεπτὰ τῶν προσβάτων προστίθεσθαι, ut Græ-
ca, sive, ut, Laurentiò Vallâ interprete, Latina præ se ferunt:
ex omnibus diebus præcipuè colendum censent suum quique nata-
lem: nimirùm hòc die plus aliis æquum censentes ciborum adponere.
Et ditiores integros boves, camelos, equos, asinos, eosq; in forna-
sibus tostos, isto die in mensam adponunt; pauperes natalem mino-
ribus pecoribus honorant.*

propin-
quis, ami-
cis, clien-
tibus.

Adhibebantur natalitio ejusmodi convivio potissi-
mùm sanguine juncti, amici ad animum pertinentes, & cli-
entes. Cicero, (Orat. II. Philipp.): *Hodiè non descendit An-*

tonius.

tonius. Cur? dat natalitia in hortis. Cui? Neminem nominabo. Putatote tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. O fœditatem hominis flagitiosam! ô impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! Tu, cum principem senatorem, civem singularem tam propinquum habeas, ad eum de Republ. nihil refers; ad eos refers, qui domum suam nullam habent, tuam exhauriunt. Gellius, (Lib. XIX. Noct. Attic. cap. IX.): Adolescens è terrâ Asiâ, de equestri loco, lætæ indolis, moribusq; & fortunâ benè ornatus, & ad rem Musicam facili ingenio ac libenti, cœnam dabat amicis ac magistris in rusculo, celebrandæ lucis annuæ, quam sibi principem vitæ habuerat. Venerat tum nobiscum ad eam cœnam Antonius Julianus Rhetor, docendis publicè juvenibus magister, Hispanô ore, florentisq; homo facundiæ, & rerum literarumq; veterum peritus. Et mox: Tum Græci plusculi, qui in eo convivio erant, homines amœni, & nostras quoque literas haut incuriosè docti, Julianum Rhetorem lacescere insectariq; adorti sunt, tanquam prorsus barbarum & agrestem. Martialis, (Lib. VII. Epigr. LXXXVI. v. 1.): Ad natalitias dapes vocabar, Essem cum tibi, Sexte, non amicus. Quid factum est, rogo, quid repente factum est? Post tot pignora nostra, post tot annos Quid sum præteritus vetus sodalis? Et iterum, (Lib. XI. Epigr. LXVI. v. 1.): Sextenti cœnant à te, Justine, vocati Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit. Inter quos, memini, non ultimus esse solebam, Nec locus hic nobis invidiosus erat. Ausonius, (Epist. IX. v. 45.): Hæc non per vulgum mihi cognita perq; popinas, Aut parasitorum collegia Plautinorum; Sed, festos quia sæpè dies partim ipse meorum Excolui, inq; vitam conviva vocatus adivi, Natalis si fortè fuit solemnis amico, Conjugioq; dapes, aut sacra Repotia patrum. Symmachus, (Lib. VI. Epist. XXXVII.): Diligentie tuæ, Domina Filia, natalitium fratris tui commendo convivium. Et (seqv. Epist. LXVII.): Quanto luculentius natalem mihi diem, si adfuissetis, egissem? Item

(seqv. Epist. LXXX.) : *Natalem Dominae Filiae meae, quem per annorum recursus optamus esse numerosum, vobiscum agere & participare voluissem, nisi proposito restitisset imbrium continuatio.*

Adcumbebant albis induti vestibus.

Sedebant autem vel adcumbebant cum in plerisque solemnioribus aliis, tum vel maximè natalitiis conviviiis, albas lacernas prætextamqve induti, quas vestes Prytanicas vocitabant, indigitante Gvil. Stuckiô, (Lib. I. Antiqu. Conviv. cap. XVI.) Quem ritum disertè notant Horatius, (Lib. II. Sat. II. v. 60.) : *Ille repotia, natales, aliosvè dierum Festos albatu celebrat.* Ovidius, ad natalem suum, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 13.) : *Scilicet, expectas solitum tibi moris honorem, Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?* (Lib. V. Eleg. V. v. 7.) : *Lingua favens adsit, nostrorum oblita malorum, Quae, puto, dedidit jam bona verba loqui. Quaeq; semel toto vestis mihi sumitur annò, sumatur fatis discolor alba meis.* Persius, (Sat. I. v. 15.) : *Scilicet haec populo, pexusq; togâq; recenti, Et natalitiâ tandem cum sardoniche albus, Sede leget celsâ.* Alexander item Severus, Imperator, referente (in ejus vitâ) Ael. Lampridiô, cum natalem diem commendaret, hostia cruenta effugit, & ut se civiliter gerebat ac permixtus populo erat, albam ejus vestem, cum quâ constiterat, cruentavit. Nimirum, ceu dudum observârunt sagacissimi Antiquitatis scrutatores, & in iis Turnebus, (Lib. XXI. Advers. cap. III. p. 666.) Lambinus, (Comment. ad Horati Lib. II. Sat. II. p. 83.) Jac. Durantius Casellius, (Lib. II. Variar. cap. XX.) Barthius, (Lib. XLI. Advers. cap. III. p. 1830.) lautissimus quisque albatu erat, præsertim diebus festis, rebusqve lætis, atqve tales etiam convivia inibant: togis nempe recentibus & usu nondum sordidis aut obsoletis, quas cum Senecâ, (Epist. XCIII.) *mundas, atqve (Lib. de tranquill. an. cap. I.) ex arculâ prolatas dixeris.* Prudentius, (Lib. I. adv. Symmach. v. 546.) :

Exul-

*Exultare Patres videas, pulcherrima mundi Lumina, conciliumq;
senum gestire Catonum Candidiore togâ. Fl. Vopiscus, (Flo-
rianô,): Tantùm illud dico: Senatores omnes eâ esse letitiâ
elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cederent, imagines
frequenter aperirent, albati sederent. Secus qui facerent,
reprehensionis non erant exsortes. Hinc ista M. Tulli in
Vatinium verborum fulmina ac tonitrua, acerbè ipsi ex-
probrantis, quòd atratus in convivio cœnatus fuerit. Sed
præstat Svadam Romanam audire. Ita autem illa: Atque
illud etiam ex te scire cupio, quò consiliò aut quâ mente feceris,
ut in epulo Qu. Ariti, familiaris mei, cum togâ pullâ adcumberes?
quem unquam videris, quem audieris, quò exemplò, quò more
feceris? Et post pauca: Cedò, quis unquam cœnavit atratus?
Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam
puer aut adolescens inter coævus fueras? quem adcumbere atra-
tum videras dominum cum togâ pullâ, & ejus amicos, ante con-
vivium?*

Misisse porrò convivas de natalitiis ejusmodi epulis
absentibus etiam amicis quidpiam, adverrimus in Ovidio,
(Lib. I. de art. am. v. 431.): *Quid, quasi natali cum poscit
munera libò, Et, quoties opus est, nascitur illa sibi?* Ac (Lib.
I. amor. Eleg. VIII. v. 93.): *Cum tibi deficient poscendi munera
cause, Natalem libò testificare tuum.* Imò clariùs in his Sym-
machi, (Lib. VI. Epist. LXXXI.): *Omnes ad nos natalitii
convivii copias transtulisti. Sed unum defuit, quò minùs ad a-
nimum nostrum redundaret plena festivitas, quòd non vobiscum
potiùs cuncta consumsimus, quorum contuitus atque convictus
commendare nonnunquam solet etiam parva convivia.*

Accedebant insuper ad conviviorum solemnitatem
Iudi, omnis generis Musica, &, postquam merò jam inca-
luiscent, choreæ. De Musicâ id temporis adhibitâ dubitare
nos non finit diligentissimus Atticarum Noctium evigilator,

De epulis
mittebant
absenti-
bus.

Adhibe-
batur Mu-
sica.

(locò antea laudatò,) : *Is, ubi edulii finis & poculis, mox sermonibusq; tempus fuit, desideravit exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat, scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce & qui psallerent. Ac posteaquam introducti pueri puellaeq; sunt, iucundum in modum ἀναμειβόντες pleraque & Sapphica, & poetarum quoque recentium ἐλεγεῖα quadam ἐρωτικῇ cecinerunt.* Imò, ne longum faciam, nihil omninò prætermitebatur, quod ullo modò voluptati deserviret, ad turpitudinem atque improbitatem usque. Testem requiritis? en Vobis Damocetam Virgilianum, amicum ita compellantem, (Ecl. III. v. 76.) : *Phyllida mitte mihi, meus est natalis, lola: Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito!* ibi Servius: *Phyllida, amicam communem, causâ natalis diei, in cuius tantum sacrificio licebat voluptatibus operam dare. Nam in aliis sacrificiis erat castitatis observatio. Quod etiam sequentia indicant, ubi dicit: Cùm faciam vitulâ, id est, cùm pro frugibus sacrificare cœpero, tu tantummodò venito.* Ista doctissimus Mantuani vatis interpret.

& quid-
quid ad
volupta-
tem fa-
ciebat.

Lætaban-
tur, si na-
tali quid
præclari
accidisset.

Natalem
hilariter
non posse
sumere,
mali res
erat omi-
nis.

Singularis quoque prosperitatis erat, si quid præclari natali suo suorumve die ipsis accidisset. M. Tullius, Tulliolæ suæ natali ab exilio revocatus, solidè suum gavisus gaudium deprehenditur in illis, (Lib. IV. ad Attic. Epist. I.) verbis: *Brundisium veni Nonis Sextilis. Ibi mihi Tulliola mea fuit præstò natali suò ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundusinae coloniae, & tuæ vicinæ Salutis. Quæ res animadversa à multitudine, summâ Brundusinorum gratulatione celebrata est.* Sicut contrâ maximæ adversitatis credebatur indicium, natalem hilariter non posse sumere. Ita enim Ovidius, (Lib. III. Trist. Eleg. XIII. v. 1.) : *Ecce, supervacuum, (quid enim fuit utile nasci?) Ad sua natalis tempora noster adest. Dure, quid ad miseros veniebas exsulis annos? Debueras illis imposuisse modum. Si tibi cura mei, vel, si pudor ullus adesset, non ultra*

patriam

patriam me sequerere meam. Quôq; loco primùm jam sum tibi cognitus infans, Illo tentâsset ultimus esse mihi: Inq; relinqvendo, quod idem fecere sodales, Tu quoque dixisses tristis in urbe Vale! Quid tibi cum Ponto? Num te quoque Caesaris ira Extremam gelidi misit in orbis humum? Scilicet exspectas solitum tibi moris honorem, Pendeat ex humeris vestis ut alba meis? Famida cingatur florentibus ara coronis, Micaq; solemni turis in igne sonet? Libaq; dem pro te, genitale notantia tempus, Concipiamq; bonas ore favente preces? Non ita sum positus, nec sunt ea tempora nobis, Adventu possim latus ut esse tuô. Funeris ara mihi letali cincta cupressò Convenit, Et structis flamma parata rogi. Nec dare tura libet nil exorantia Divos, Latantis subeunt nec bona verba malis. Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum, In loca ne redeas ampliùs ista, precor: Dum me terrarum pars panè novissima, Pontus Euxinus, falsò nomine dictus, habet.

Nec incelebris hic erat dies munerum natalitiorum vicisitudine. Musæ, vestram fidem! quanti commentatores & adfirmatores hanc in rem! tota seculi literatura, verbis Tertulliani, (Lib. de animâ, cap. XXVI.) Uxor namque marito, uxoriq; maritus munusculum exhibebat. Donatio quidem inter conjuges jure aliàs prohibita erat, (per tot. tit. I. Lib. XXIV. Digest. ac tit. XVI. Lib. V. Cod. de donat. int. vir. & ux.) ex rationibus, à Johanne Corasio, (Lib. V. Miscell. cap. I.) adductis; quod si tamen vir uxori munus Calendis Marti aut die natali dedisset, donationem illam valere, Pomponius respondit, (cit. Lib. XXIV. Digest. tit. I. leg. 31. sed si vir. §. 8. si vir.) Hujusce rei vestigium quoque deprehendere est apud Juvenalem, (Sat. IX. v. 49.) : *En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas Grandia, natalis quoties redit!* Munera mittebant parentes liberis, liberi parentibus, & cognatis cognati, quorum recepto de more

Mittebantur invicem munera à conjugibus:

à parentibus, liberis, cognatis:

munc-

munerum invicem sibi natali die exhibendorum tam frequens fuit vicissitudo, ut mutitasse donis invicem missis non minus verè dici potuerint, quàm mutuis inter sese agitati conviviiis. Ita namque *mutitare*, quod Gellianum est verbum, (Lib. II. Noct. Attic. cap. XXIV. & Lib. XII. cap. II.) pro eo, quod est, *mutuitare*, rectè interpretatur Turnebus, (Advers. Lib. XIV. cap. XII. p. 434. & Lib. XVII. cap. I. p. 502.) tanquam mutuarent alii aliis convivia: quando, qui dederant, vicissim etiam accipiebant; vel potius, quasi dapes & epulas vicissim commutarent. De patre apertè Symmachus, (Lib. I. Epist. XI.) : *Cum jam filia nostra dies natalis adpeteret, commodum aderant, quæ muneri miseratis.* Et (Lib. VI. Epist. LXXX.) : *Natalem Dominae filiae meae, quem per annorum recursus optamus esse numerosum, vobiscum agere & participare voluissem, nisi proposito restitisset imbrium continuatio. Fungimur tamen religiosò honore jucundi munusculi, petentes, ut susceptionis benignitate oblationis exilitas augeatur.* Et (præced. Epist. LXXIX.) : *Aevum maneat hic dies, qui te nobis, filia, dedit. Hunc ego & gaudiis mentis & verborum honoribus per multos annorum recursus vobiscum opto celebrare, adjicere etiam mihi ingravata, tibi jucunda munuscula.* De filiâ idem, (Ibid. Epist. LXVII.) : *Quantò luculentius natalem mihi diem, si adfuissetis, egissem? Quod in reliquum saltim numerosis annorum processibus Fors orata præstabit. Interea, Domina filia, honoratum me optimò lanificii tui monumentò satis gaudeo. Unà quippe & amor in parentem tuum & industria matronalis inclaruit. Quæ natalitia cognatorum dona Tertullianus (Lib. I. de Idololatr.) scitè charæ cognationis honoraria nuncupat, & Martialis (Lib. IX. Epigr. LIV. v. 5.) solempne charæ cognationis munus. Quomodo & solempnia munera parentibus cognatisque mittere tutorem posse, lex admittit, (Lib. XXVI. Digest. Tit. VII. l. 12. §. 3.) ubi per solempnia*

mune-

munera ex Varronis, Festi, atque Servi interpretamento natalitia significantur, ut rectè Dionysius Gothofredus, (not. ad d. l.) & Barnabas Brissonius (Lib. IV. Select. Antiquit. cap. III.) conjiciunt. Misisse amicos invicem munera, restatur Martialis, (Lib. IX. Epigr. LIII. v. 1.) : *Natali tibi, Quinte, tuò dare parva volebam Munera. Tu prohibes. Imperiosus homo es.* Et (Lib. X. Epigr. XXIV. v. 1.) : *Natales mihi Martia Calenda, Lux formosior omnibus Calendis, Quam mittunt mihi munus & puella.* Atque iterum (Lib. VIII. Epigr. XXXVII. v. 8.) : *Præstas hoc Melior, sciente famâ, Qui solemnibus anxius sepulti Nomen non sinis interire Blasi, Et, de munificâ profusus arcâ, Ad natalitium diem colendum, Scribarum memori piæq; turbae Quod donas, facis ipse Blasianum.* Confirmat hoc ipsum & Symmachus, amicis suis ita rescribens, (Lib. VI. Epist. XLVIII.) : *natalitiò munere, quod frequentari à vobis per multos annos communis felicitas faciet, nostrum hilarastis animum, vestrum probastis.* Offerebant clientes patronis, cujusmodi exemplis plenus Martialis; quibus tamen in præsentis recensendis supersedebo, unicum Petroni Arbitri locum si tetigero, (Satyricò p. 76.) ubi dispensator nescio quis stomachabundus : *Non tam jaçtura me movet, quam negligentia nequissimi servi. Vestimenta accubitoria perdidit, quæ mihi natali meò donaverat cliens quidam: Tyria sine dubio; sed jam semel lota.* Addimus denique servos, qui & ipsi dominis munera dabant natalitia, ceu liquet ex isto Terenti, (Phorm. act. I. Sc. I. v. 12.) : *porrò autem Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit: porrò autem alio, ubi erit puero natalis dies.* Cui consonat, nummos adferri solitos herilibus filiis natalibus diebus à servulis, ut ostendit Scaliger, (Lib. de re numm. p. 16.) Et apud Plautum, (Pseud. act. III. Sc. I. v. 9.) lenonius puer conqveritur, quòd, cum herus natali suo interminatus sit à minimo ad maximum, eum, qui ho-

C

die

diè munus non misisset sibi, cras cruciatu periturum maximum, ipse nesciat, unde munus conquirat, quò illum donet.

Donabant
annulos ac
inaures:

Videbimus nunc, quid potissimum invicem sibi miserint muneri. Mittebant nunc annulos ac inaures. Cui rei fidem facit Plautinus Epidicus, virginem alloquens, (act. V. sc. I. v. 33.) : *Non meministi, me inaurem ad te adferre natali die? Lunulam atq; anellum aureolum in digitum?* Sic à Persio, (Sat. I. v. 15.) introducitur recitator, -- *pexusq; togâq; recenti, Et natalitiâ tandem cum sardoniche albus.* Quem quidem Satyrici locum plerique de annulo, solo natali die gestari solito, capiunt. Quamquam, quod rectè monet Kirchmannus, (Lib. de annul. cap. XVII. p. 163.) intelligi etiam potest annulus natali die à cliente dono missus, quem in magno habitum pretio & cum curâ adservatum, patet ex

lineas margaritarum:

Plauti Curculione, (act. V. sc. II.) ubi cum (v. 53.) Planesium virgo dixisset: *Hunc servavi semper mecum unâ annulum, cum hoc olim perii;* miles post paullum inspecto annulo, (v. 56.) subjungit: *hic est, quem ego tibi misi natali die: tam facile novi, quam me.* Nunc lineas margaritarum, foeminis praesertim, uti monstrat Symmachus, (Lib. VI. Epist. LXXIX.) : *avum maneat hic dies, qui te nobis, filia, dedit. Hunc ego & gaudiis mentis & verborum honoribus per multos annorum recursus vobiscum opto celebrare, adjicere etiam mihi ingravata, tibi jucunda munuscula: ut nunc lineam misi, cujus potest oblatio exigua non videri, si magis mei in vos animi, quam sui pretii aestimatione pendatur.*

pretiosa
vasa:

Ita enim lineæ vocabulum de margaritarum serie Franciscus Juretus & Jacobus Lectius (in notis ad h. l. p. 397.) ex Digest. (Lib. IX. tit. II. l. 27. §. 30. Lib. XXXV. tit. II. l. 26. & Lib. XLVII. tit. II. l. 52. §. 25.) explicant. Nunc vasa pretiosa. Sic Augustus Cæsar à Mæcenate, quocum vitam agebat, quotannis natali luce accipiebat pateram sive phialam, notante Plutarcho, (Apophth. Lacon.) Nunc vestes. Quod colligitur ex antea producto Petronii loco, atque ex isto Martialis,

(Lib.

(Lib. XIV. Epigr. CXXX. v. 1.): *Si possem, totas cuperem misisse lacernas; Nunc tantum capiti munera mitto tuo.* Mittebant ^{poëmata:} epigrammata & elegias poëtæ, quandoquidem, juxta Aufonium (Epist. X. v. 39.) pronunciatum, *tota supellex vatum piorum chartea est.* Et cum carminibus sarta etiam sive corollas, ut ^{sarta:} discimus ex illo Apuleji ad Critiam Epigrammate, (apud Scaligerum, Catalect. Vet. Poëtar. Lib. I. tit. IX.) *Florea sarta, meum mel, Et hæc tibi carmina dono: Carmina dono tibi, sarta tuo Genio, Carmina, uti, Critia, lux hæc optata canatur, Quæ bis septenô vere tibi remeat; Sarta autem, ut lætô tibi tempore tempora vernent, Aetatis florem floribus ut decores.* Mittebant studio- ^{libros:} rum suorum opera ac ingenii foëtus literati quivis alii. Censorinus certè suum de Die Natali librum in vicem hujusmodi munusculi obtulit Cærellio, (cap. I.) ita eum adfatus: *cùm dona pretiosa neque tibi per animi virtutem desint, neque mihi per rei tenuitatem supersint, quodcunq; hoc libri est, meis opibus comparatum, natalitii titulô tibi misi.* Quô quidem natale munus se misisse intelligit, judice Turnebô, (Lib. VII. Advers. cap. XIV. p. 207.) Eodem titulô Lucianus suum *πρὸς μακροβίων* libellum Quintillo, & Dionysius Halicarnassensis librum *πρὸς συνθέσεως ὀνομάτων* filio suo in natali adscripsit, quem versu Homericô, (Odysf. O. v. 125.); *δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ, τέκνον φίλε, τὸτο δίδωμι, donum tibi Et ego, fili dilecte, hoc do.* Mittebant esculenta & talia alia, quæ ad penum facerent, ^{esculenta,} ut sumtûs convivii natalitii quodammodò sublevatum irent. Martialis, (Lib. IX. Epigr. LIV. v. 1.): *Si mihi Picenâ turdus palleret olivâ, Tenderet aut nostras silva Sabina plagas: Aut crescente levis traheretur arundine præda, Pinguis Et implicitas virga teneret aves: Chara daret solenne tibi cognatio munus, Nec frater nobis, nec prior esset avus. Nunc sturnos inopes fringillarumq; querelas Audit, Et argutô passere vernat ager. Inde salutatus pica respondet arator: Hinc propè summa rapax milvus in astra volat. Mittimus ergo tibi parvæ munuscula chortis, Qualia si recipis, sæpe*



propinquus eris. & (seqv. Epigr. LV. v. 1.): *Luce propinquo-
rum, quâ plurima mittitur ales, Dum Stella turdos, dum tibi, Flac-
ce, paro: Succurrit nobis ingens onerosa q̄ turba, In quâ se primum
quisque meumq̄ putat. Demeruisse duos, votum est: offendere
plures, Vix tutum: multis mittere dona, grave est. Quâ possum,
solâ veniam ratione merebor: Nec Stella turdos, nec tibi, Flacce,
dabo.* Ad summam, mittebantur munera pro ratione cujus-
que conditionis & vitæ statûs. Quo de consensum habemus
ejusdem Martialis, quando (Lib. X. Epigr. LXXXVII. v. 8.)
de natali Restituti agit, atque ait: *Certent muneribus beatiore.*
*Agrippæ tumidus negotiator Cadmi municipes ferat laternas: Pu-
gnorum reus ebriaq̄ noctis Cœnatoria mittat advocato. Infamata
virum puella vicit? Veros sardonychas; sed ipsa, tradat. Mirator
veterum senex avorum Donet Phidiati toreuma cœli: Venator le-
porem, colonus hædum, Piscator ferat aq̄vorum rapinas. Si mittit
sua quisque, quid Poëtam Misurum tibi, Restitute, credis? Di-
cendum jam de aliis huc facientibus foret ulterius; sed ea
occafioni alii reservata sunt.*

Natali veteris atque novæ Romæ inter cetera id quo-
que honoris habitum legimus, ut, justitiô institutô, jura le-
gesq̄ve per eum silere quasi juberentur. Et hoc de volun-
tate Impp. Valentiniani, Theodosi, ac Arcadii. Verba Cæsa-
rei rescripti, (Lib. III. Cod. tit. XII. l. 7. omnes dies,) sunt
istâ: *his feriis adjicimus natalitios dies Urbium maximarum,
Romæ atque Constantinopolis, in quibus jura debent differri, quia
& ab ipsis nata sunt.* Quid natali luce hujus sui Gymnasi
Fundator ejusdem Laudatissimus? Tantum abest, ut Juris-
dictioni Gymnasticæ suppositos & concorpores à Legibus
velit eximios, ut potius hoc ipso die iteratô obliget, & novô
quasi jurejurandô devinciat. Age proin, vir Humanissime
atque Ornatisime, Nicolaë Rübeli, Scholæ Senatoriæ Col-
lega & Succentor, Leges Discipulis in Illustri Casimiro-
Gyvilhelmianô proprias, ex more hætenus receptô recita.

POST

POST LEGUM RECITATIONEM.

Leges æqvissimas audivistis jam, Vos Nostri, qui ad-
estis: audivistis Leges, quas DEUS ipse adprobat: Leges,
quas Princeps Excelsissimus sanxit: Leges, quæ vestrum o-
mnium emolumentum ac salutē quærent. Ecquis nunc, nisi
præfrictæ frontis, nisi præfractæ mentis fuerit, easdem aver-
saretur, contemneret, sperneret? Nos tamen hâc in parte
habemus adfatim, quô de conqveri jure possumus optimô.

Discentiam, quæ Tertulliani (Lib. I. de Animâ cap.
XXIII. & XXIV.) à Coeliô Rhodiginô (Lib. X. Antiqu.
Lect. cap. XVI. p. 376.) recentata vox est, sive in discendo
diligentiam, & eam non desultoriam, Leges à Vobis expo-
scunt. Quomodo illam hætenûs plerique vestrum publicis
• probaverint Doctoribus, cathedræ propemodùm atque
ipsamet subsellia clamare videntur. Et metus est, ne eò res
randem redeat, ut nostrum vel inviti facere cogamur illud
prisci Philosophi, qui interrogatus: Quotnam auditores ha-
• beret? οὐν θεῶν δέκα, inquebat, cum Diis decem, Musas in pa-
riete pictas intelligens unô cum auditore, ut ex Diogene
Laërtio, (Lib. VI. p. 408.) & Athenæo (Lib. VIII. cap. VIII.)
refert Erasmus, (Apophtegm. p. 556.) Nostro in Gymnasio
variæ doctrinæ quot diebus, fermè dixerim quot horis, sus-
penduntur hederæ. Quo successu, in propatulo est. Nimi-
rùm, nostris hominibus non est tantum ardoris erga studia,
non tantum calor boni, quantum vel abjectissimæ herbæ,
quæ caput attollere, seseque erigere laborat, utut subinde
pedibus conculcetur; sed perpetuô segnitiei frigore torpere
malunt, quàm projectis ridicis & perticis se sublevare. Me-
minisse autem debebant isti, lectiones publicas frequentan-
di causâ huc à suis sese ablegatos: ad quod præstandum in
Academiis etiam earundem adscriptitii juramentô adstrin-
guntur. Hem vobis Statutum numerô secundum Electora-
lis Academiæ Lipsiensis Celeberrimæ!



Post DEI cultum proxima cura Studiosi in eo
 versetur, ut lectiones sibi necessarias audiat. In
 hoc igitur unusquisque intentus esse debet, qui
 præsertim nomen Studiosi tueri vult. In primis
 autem Lectiones publicas frequentari par est, easque
 à nemine prorsus negligi volumus, nisi probare
 aliquis possit, se cultu doctrinæ aut institutione
 non egere. Magnis enim impensis aluntur Publi-
 ci Profesores, non in alium finem, quam ut au-
 diantur à Studiosis pro cuiusque modo & facultate.

Hæc Serenissimus Potentissimusque Saxonix Elector. Eant
 nunc sapientuli nostri, & ad nescio quæ privilegia Academi-
 ca provocent! Dantur tamen in cœtu numerosissimo ad-
 huc frugi quidam, quibus melior mens animo sedet: qui Ju-
 venes Studiosi sui sunt nominis, atque id, quod audiunt, verè
 esse curant: qui, scopi tenaces & finis, cuius gratiâ heic ver-
 santur, ad pedes Professorum tam in Auditoriis publicis
 quam Collegiis privatis sedent: atque his Divina gratia Bo-
 norumque favor abundè olim aliquando erunt expectanda.

Morum prætereâ elegantiam à vobis Leges exigunt.
 Sed quo effectu? DEUS bone! quot vestro ex ordine legi-
 rupas dernere est? qui, bonas horas malè locando, & legum
 repagula sæpiùs frangendo, heic nobiscum vivunt: qui, bo-
 narum artium atque partium alumnos mentiti, propter au-
 ram saltim liberiores hæc Musarum alvearia accedunt, &
 postmodùm nullis non vitiis atque flagitiis fibulam laxant,
 atque nihil non sibi permittunt: id demùm civem esse Gy-
 mnasticum, si absque ullius reverentiâ Genio & ingenio suo
 liberè indulgere possint, putantes. Sed putantes. Sunt
 Veneris nepotuli, sunt sponsi Penelopes, sunt Alastores,
 qui malunt ad Gynecæum aut ad Lyæum, quam in Lycæum
 divertere: qui interdum in œnopolis & symposiis latent,

ubi

ubi omnes lances impurò ore detergunt, & omnes trullas, Plautinò verbò, exhauriunt; sub noctem verò in publicum sese exonerant, tumultuantur, grasfantur, bacchantur. Quid de vestitu dicam, qui plures hodiè colores evariat, quàm Protei forma? Carnificum olim proprium erat, alterutro brachiò semper exsertò ad cædendos canes incedere: idem sibi cum istis canicidis hodiè commune faciunt non pauci, qui per plateas nisi exsertò brachiò non volitant, nec navigant per forum, nisi semivelivolò palliò. Tacebo istos, qui, quoniam tenella illa corpuscula nimiam molem recusant, nec cum palmâ sese erigunt, expalliatî incedunt, & non tam sibi enses accingunt, quàm seipso gladiis alligant, quasi Romanis ad Cannas latûri suppetias, & cum Hannibale apertò Marte congressuri. Quid? torvum videtis, & frontem ad hæc caperatis? Nosse debetis, ô boni! nihil scholasticarum sordium adfricari Academico etiam Gymnasio, si honestati ac modestiæ cum aliis in rebus, tum vel maximè in vestitu atque incesu ratio habetur pensiculator. Quocirca agite, Vos Mei! à protervitate & pervicaciâ ad pietatem: à nocercâ eruditionis, negligentîâ, ad omnis sapientiæ ac doctrinæ matrem, industriam: à vitiis ad virtutem redite: scurriles istos atque moros mores exsute; dignos ordine vestrò induite. Quid facilius est, quàm teneros adhuc animos ad disciplinam & virtutes componere? Sophoclem admittite: γέροντα ὄψιν φλαύρον, ὅς νέος πέσοι, si Græca, aut, si Latina mavultis: *irritum est erigere senem, qui juvenis cecidit.* Et audite Senecam (Lib. II. de irâ, cap. XLIX.) *difficulus reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.* Hoc qui cum curâ fecerint, & in junctorum unicè sagrantes, suavissimâ συζυγία & copulatione Musas & Gratias conjunxerint, optimè cum his actum fuerit; qui secus, & juventutis quidem suæ florem nescio cui, (horret enim nomen id proferre animus,) senectutis verò feces DEO demùm consecrare cogitant, illi divinam Nemesein & ἐκδικον istud ὄμμα effugere se posse ne cogitent. Tan-

Tandem, ut extremum quid mea habeat oratio, Tibi, DEUS Opt. Max. au-
 tor, conservator, & moderator hujus rerum universitatis, cujus majestas infinita,
 bonitas consummata, sapientia inexhausta, potentia interminata est, in cujus manu
 etiam sortes nostrae: Tibi gratias, quantae ab angustiis istis pectoris humani profi-
 cisci, quantae ab hac infantia oris mortalis depromi possunt, maximas atque singu-
 lares & habemus & agimus, cum pro aliis omnibus, iisque ingentibus in nos usque
 huc collatis atque collocatis beneficiis; tum vero imprimis, quod in oris hisce Fran-
 conicis heic inter nos Musis domicilium fixeris, illudque haetenus tranquillam pace
 frui concesseris: quod eam cogitationem Inclytorum Saxoniae Ducum animis in-
 spiraveris, ut illustre hoc pietatis, virtutis, bonarumque literarum seminarium ex-
 citarent, foverint, promoverint, eamque voluntatem luculentis ad posteritatem
 monumentis satis satisque testatam fecerint. Hoc opus atque munus, quantum quan-
 tum est, totum plene planeque tuum est. A Te omnia habemus, Tibi omnia de-
 bemus, a Te etiam omnia expectamus. Quare age, Misericorsissime! Tuam hoc
 bonitatis ac misericordiae munus proprium nobis atque perpetuum esse jube. Se-
 renis. atque Celsis. Principem ac Dn. Dn. nostrum Clementis. Patriae Patrem Gy-
 mnasique Patronum Incomparabilem, juxta cum Serenissimam Conjugem & Floren-
 tissimam utriusque sexus Sobolem, quin totam Domum Saxoniam, omnibus animi bonis,
 omnibus corporis commodis etiam atque etiam manu largissimam porro orna, ma-
 cta, cumula, ut sub Evergetae illius patrocinio pro sua quisque functionis parte Tibi
 grata, Rei literariae fructuosa, Juventuti Studiosae commoda, nobisque universis ac
 singulis salutaria cogitemus, dicamus, faciamus! Palladium hanc Franconiae Do-
 mum in studio cultuque artium optimarum omnisque liberalis doctrinae, nec non
 omnis virtutis conserva: auge ac perenna Gymnasio nostro favoris Tui constan-
 tiam: procul, o procul esse jube, quidquid literarum studiis, quidquid virtuti, quid-
 quid pietati adversatur. Praesta Docentium fructuosam operam, Discipulorum di-
 ligentem frequentiam: juventuti studiosae mentem meliorem suggere, ut cultu-
 ra aurem patienter praebet. Et, quandoquidem eam nunc tempestate vivimus,
 ut vereamur, & vere vereamur, ne brevi novum Homerum opus sit ad novam texen-
 dam malorum Iliada, fac, o DEUS, ut in hac terribili rerum facie, & hac anxiam
 tranquillitatis publicae annonam nos ita componamus, ita post deinceps vivamus,
 ita studeamus in hac mundi inferioris schola, quod, cursu nostro, quem singulis
 praefixisti, absolutum, atque animam ex corporis maeo emissam, ad superioris climatis
 promoveamur Academiam, & statione vitae atque officii nostri sancti, beatissimam
 illam immortalitatem cum hac ærumnosam mortalitate citius felicius commute-
 mus: ubi Te, DEUM unum ac trinum, Doctorem audiamus, Ductorem sequa-
 mur, Rectorem veneremur, colamus, celebremus seculis nunquam finiendis.
 Fiat! ita fiat!

D I X I.

Coburgi Typis Ducalibus exscripsit Johan. Conrad. Monch.

QVINTU
SOLE
DISSE
IN
RIT
N

RESIMUM
RET,
IS
M. 121
MAGET
OPTI
AEO
INDA,
O
UM
RI,
MIXAM



2

